

alteram desumptam ex Matth. VIII, alteram ex hircio emissario. Evangelista enim retulit ad Christum morbos corporeos sanantem Isaie vaticinium ad figuram sanationis a morbis spiritualibus, ut exponit ipse Grotius, (a) vel, ut explicat s. Jo. Chrysostomus, eatenus s. Matthæus in Christo morbos depellente adimpletum dicit Isaie vaticinium, quod proprie est de peccatorum pœnis, quatenus morbi corporis ut plurimum sunt pœnæ peccatorum (b), quas quidem pœnas cum in se luendas susceperit Christus, ideo etiam cum ægrotos sanavit, recte de eo dicitur, quod negotiationes nostras acceperit. Hircus autem emissarius non alio sensu dicitur portasse peccata populi, quam quod symbolum et figura fuerit gerendorum per Christum; hinc de figura ac symbolo, ut rei natura exigit, *improprie*; de figurato, ut præfertur, *proprie* locutio illa accipi debet.

Ad 2. D. Interdum, C. in casu nostro N. Quominus autem *improprie* de redemptione a Christo peracta hanc vocem intelligamus vetant argumenta, quæ in probationibus protulimus. Neque ejusmodi *improprium* sensum in casu nostro in primis suadent typicæ redemptiones populi israelitici in quas non concurrunt adjuncta illa quæ militant pro redemptione Christi. In hac enim omnia quæ ad veram redemptionem constituendam necessaria sunt reperiuntur, sed nimirum in vera redemptione opus est captivo et captivum definente, tum redemptore et redemptionis pretio. Porro revelatio docet universum genus humanum captivum fuisse æternisque pœnis damnatum; homines autem captivos detinebant et Deus tanquam supremus iudex et diabolus tanquam licitor apparitorque Dei, et peccata tanquam laquei, mors tanquam pœna, et infernus tanquam carcer: fuit autem redemptor Christus Dominus; ac denique redemptionis pretium non fuit aliquid corruptibile, ejusmodi sunt aurum et argentum, sed pretiosus sanguis Agni immaculati Christi, ut loquitur B. Petrus Ep. I. c. I.

Nec suadet ratio, qua venditi sumus. Gratis enim excidere possumus et in diaboli potestatem culpa et inobedientia nostra venire; ast redimere nos non possumus, nisi per condignam satisfactionem. Quispiam potest se in puteum dejicere, sed sine aliorum subsidio exinde emergere nequit.

Neque pariter illud sequitur, quod adversarii fingunt, in catholicorum nempe sententia redemptionis nostræ pretium persolutum fuisse diabolo. Illi enim persolvitur pretium qui jure suo captivos detinet, qui creditor est, persona læsa ac supremus iudex, ejusmodi in casu nostro est solus Deus qui potesta-

(a) In erit. sacr. ad c. VIII. Matth. v. 17.

(b) Hom. XXVII. al. XXVIII, in Matth. n. 1. 2. Atque hic censura notandus Erasmus, qui in adnot. ad cit. loc. scribit: « adduxit hoc testimonium Matthæus ex Is. 55. nonnihil ad suum deflectens negotium. Etenim quod illic dictum est de passione Christi, et sublati hominum peccatis, hic accommodat ad ægrotos sanatos: quanquam hæc sanatio illius typum habebat. Ad hunc modum excusat evangelistam Chrysostomus hom. 28. » At de ejusmodi typo et excusatione nec verbum habet s. Doctor.

tem habet mittere in gehennam, ut inquit Christus Luc. XII. 5. non autem ei, qui jure alieno detinet captivum tanquam carceris custos, judicis minister atque executor prout diabolus est. Soli ergo Deo persolvendum erat nostræ redemptionis pretium (a).

Ad 3. D. Non semper particula *pro* seu *ὡς* veram importat substitutionem, C. nunquam, ac præsertim in casu nostro N. Inani prorsus labore corrogant soëniiani tum ex scriptoribus sacris, tum ex auctoribus profanis exempla quibus ostendant interdum particulam *pro* aut *ὡς* non significare substitutionem, sed solam utilitatem, cum nemo id inficietur. Ast nihil proficiunt nisi simul ostendant hanc ejusdem particule unicam et constantem esse significationem et vim, quod numquam efficiunt, cum innumera prorsus suppetant exempla, ubi de personis agitur, ex iisdem fontibus, in quibus eidem particule vis ac significatio subest substitutionis (b). Igitur de hujus particule significatione didicandum est ex subjecta materia, scopo, contextu, et ceteris adjunctis. Porro in casu nostro non solum dicitur de Christo, quod pro nobis mortuus sit, sed præterea asseritur, quod pro peccatis nostris animam suam posuerit; semetipsum dedit in victimam et oblationem et propitiationem; dedit se ipsum redemptionis pretium nosque redemerit non auro et argento, sed sanguine suo pretioso. Quæ omnia profecto, ut veram solutionem pro nobis, ita veram substitutionem aperte significant. Cum vero hæc eadem non militent pro exemplis allatis, patet extra rem ea omnino proferri. Denique compertum philologis est non aliam esse proprietatem particule *ὡς* ubi veniat in compositione vocis *ὡς*, quam significationis de vicaria substitutione, pretii nempe in locum rei emptæ seu redemptæ, hinc *ὡς* idem valet ac *vicissim datum redemptionis pretium* (c); jam vero Apostolus I. Tim. II. 6. scribit de Christo « Qui dedit redemptionem (*ἀντιδωκεν*) semetipsum pro nobis omnibus. » Rationalistæ talem fuisse sacrorum scriptorum sensum dum de Christi morte loquuntur modo nobis concedunt (d). Non est igitur quod ulterius queramus.

(a) Atque hic notanda est impudentia rationalistarum, Wegsch. §. 138. Gruner Dogm. p. 255. seqq. 262. seq. Beck. Comment. I. I. p. 585. seq. Wiggers Pragmat. Darstell. d. August. etc. seu Expositio pragmatica augustinianismi et pelagianismi Ber. 1821. p. 334. seqq. qui non veriti sunt affirmare, haud paucos patres, quippe qui demonologie studiosissimi essent, in eo convenisse ut Jesu *θεωδωρόπου* (*Dei hominis*) mortem, velut debitum aliquid redemptionis pretium diabolo persolutum existimaverint, qua homines ab ejus imperio et potestate itemque a morte æterna liberaret. Lacesimus enim rationalistas omnes, ut vel unum patrem proferant, qui asseruerit pretium redemptionis a Christo fuisse diabolo persolutum.

(b) Cf. Luc. XI. Matth. II. 22. XVII. 26. I. Cor. I. 15. etc.

(c) Cf. Sviceram in Thes. eccles. ad voc. *ἀντιδωκεν* ubi confirmat auctoritate Hesychii nativam hanc esse hujus vocis significationem. Quare audiendus non est Scapula dum frigidè scribit: « *ἀντιδωκεν* simpliciter accipitur pro *ὡς* » I. Tim. cap. II.

(d) Kaiser Bibl. theol. 263. De Weite Bibl. dogm.

Ad 4. D. *Reconciliationis* voce solitarie spectata. Tr. prout in sacris litteris de Christo illa usurpatur N. Ideo enim nos scripturæ per Christum Deo reconciliatos exhibent, quia ipse pro nobis dedit pretium sanguinis sui, Deum placavit, sustulit in se peccata nostra « Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, ut inquit Apostolus, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci (a). » Quare Christus nos reconciliavit cum Deo tanquam causa princeps et meritoria per veram satisfactionem; Apostoli autem ut causa ministerialis, ut dicitur, atque instrumentalis per verbi prædicationem et dispensationem mysteriorum Dei, seu sacramentorum. Longe propterea dispar istorum ratio reconciliationis est (b).

II. Obj. Satisfactionis doctrina, prout a catholicis admittitur ex triplici capite repugnat, videlicet tum ex parte Dei, tum ex parte Christi, tum denique ex parte hominis. Ac primo quidem ex parte Dei: etenim I. Deus in Scripturis exhibetur gratis peccata condonans e.g. Matth. XVIII. 27. Rom. III. 24. Ephes. II. 5; Coloss. II. 13. Ergo nulla ei debetur satisfactio, invicem enim pugnant gratuita donatio, quæ fit ex misericordia, et proprie dicta satisfactio, quæ exigitur ex justitia. 2. Parum autem refert quod ejusmodi satisfactio non a nobis sed a Christo exhibita fuerit, nam qui a sponsore pretium repetit non potest dici gratis illud condonare. 3. Accedit Deum ipsum dedisse nobis Filium suum, qui pro nobis offerretur; jam vero ubi creditor præbet debitori unde solvat, remissionem dare potius censetur quam satisfactionem exigere. 4. Quibus si addas Deum non potuisse ejusmodi satisfactionem postulare absque suæ misericordie aut potentie læsione, res plane conficitur; porro asserere Deum illam postulasse quia aliter noluit peccata dimittere, est ejus lædere misericordiam; dicere eam Deum exegisse quia aliter non potuit peccata condonare, est detrudere ejus potentiam. Ergo.

R. N. A. Ad 1. D. Respectu hominis cui Deus gratis peccata condonat, C. respectu Christi, qui ea ut sponsor in se suscepit ac luit N. Ambo hæc, gratuita nempe peccatorum remissionem relate ad nos,

I. I. 95. seqq. alique passim in eo conveniunt ut asserant discipulos Jesu ignominiam supplicii a Christo subeundi delicturos, post fata demum, ut ipsi loquuntur, doctoris divini vel nonnulla ipsius allegorice dicta de morte sibi instante convertisse in hanc sententiam de morte expiatoria, vel ex opinionibus de *ὡς* sacerdotis instar et intercessoris, homines eum Deo reconciliante V. T. loca eidem accommodasse. Affirmant evang. Joannem alio omnino sensu ab eo quo protulerat Jo. Bapt. dictum accepisse, quod Jo. I. 29. extat, ex præconcepta sententia sua de morte Christi expiatoria; imo et Jesum ipsum, quippe qui sacrificia quævis piacularia in regno cœlesti a se condendo abrogare vellet, mortem sibi instantem tanquam symbolum in locum illorum substituendam ad opinionem æqualitatem accommodatè nonnumquam proposuisse, quo citius ista sacrificia ad illud usque tempus usitata antiquaret.

(a) Coloss. II. 14.

(b) Cf. Witassa de Incarn. I. c. q. 8. ar. I. soc. I.

ac redemptionis pretium relate ad Christum luculenter conjunxit Apostolus dum ait: « Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ (a). » Pugnant autem secum invicem gratuita donatio et satisfactio proprie dicta cum ad eandem personam referuntur, non autem ut in casu nostro accidit, cum alia est persona, quæ satisfacit, alia vero est, cui gratuita fit remissio.

Ad 2. D. Ubi intervenit debitum reale, C. Ubi intervenit debitum personale N. In debito enim reali in quo non exigitur nisi æqualitas rei ad rem, perinde est a quocumque demum solvatur; at in debito personali quod exurgit ex injuria alteri illata, persona læsa quamcumque posset respicere satisfactionem ab altero oblatam, ac ipsum lædentem adigere ad satisfaciendum. Cum vero nos tali debito solvendo impares essemus, acceptum referre debemus divinæ bonitati, quod ejusmodi debitum in Christum sponsorem transtulerit, ac ejus meritorum intuitu nos a solutione liberaverit, gratuito nobis condonando noxas omnes quibus eramus adstricti.

Ad 3. D. *Remissionem* dare censetur ei cui creditor (personalis) præbet unde solvat seu satisfaciat, C. ei quem creditor dat ut solvat seu satisfaciat N. Responsio patet ex modo dictis in resp. ad 1.

Ad 4. N. Potuit enim Deus absolute absque ulla satisfactione omnia delicta nobis condonare, sed ei placuit misericordiam cum justitia temperare, misericordiam respectu nostri, justitiam respectu Christi, ut sic omnia ejus attributa in redemptionis œconomia maxime elucerent.

I. Inst. Atqui non minus repugnat satisfactio ex parte Christi. Nam 1. injustum est insonem pro reo plecti; 2. innocentem vero suffici in locum rei ad pœnas dandas pro patris sceleribus vetat recta ratio, vetat divina lex, vetat omnium plane politorum gentium jura. Nemo enim qui sobrius sit inficiabitur ferendum non esse, ut dimisso nocente, qui pestis reipublicæ est, sæviatur in innocentem, qui omnium bono et exemplo vivit. Quare Deus conceptis verbis ne id unquam fiat prohibet Deut. XXIV. 16. « Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur; » imo et sibimetipsi Deus hanc legem posuit dicens Ezech. XVIII. 20. « Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur... justitia justis super eum erit, et impietas impiis erit super eum; » factum hinc est, ut tanquam injustam et noxiam ejusmodi substitutionem Athenienses repulerint (b); Romani vero id capitis pœna vetuerint (c); præsertim cum nemo vitæ suæ dominus sit, et juxta justitiæ leges pœna peccatum sequatur. 3. Absurdum est admittere in satisfactionis hypothesi Christum nobis simul et iratum et propitium; iratum, quia Deus est peccatis læsus, propitium quia

(a) Rom. III. 24.

(b) Plato de Leg. I. IX.

(c) Ex codice.

pro iis satisfecit. Absurdum insuper est plus nos debere Filio, qui pro nobis satisfecit, quam Patri qui satisfactionem exegit. 4. Concludendum propterea est Christum mortuum pro nobis eo tantum sensu esse quo declarat Apostolus Petrus, ut nobis relinqueret exemplum, ut sequamur vestigia ejus (a), non autem quasi loco ac vice nostra mortem subierit.

R. N. Subs. Ad 1. D. Qui non fuerit ejus sponsor, C. qui ejusmodi sponsonem ultra ac libens in se suscepit ut mox dicemus, N.

Ad 2. D. Per se, ac nulla interveniente legitima causa, ac potestate, C. intervenientibus libera electione, legitima potestate, bonis ingentibus, ac damni passi reparatione imo et fœnore N. Admissis igitur adversariorum principiis relate ad casus ordinarios ex defectu aut omnium, aut aliquot saltem adjunctorum, quæ enumeravimus, negamus illa applicari posse ad casum nostrum, unicum plane atque extraordinarium. Etenim 1. Christus libere se ad mortem loco nostro subeundam obtulit: « Oblatus est, quia ipse voluit. » 2. Legitima potestate fecit tum ex parte Patris qui ejusmodi subrogationem non solum probavit sed ipsemet nobis eam contulit, nam « pro nobis omnibus tradidit illum (b); » tum ex parte sua, cum esset vitæ suæ Dominus, utpote Deus homo « Potestatem habeo ponendi eam (animam meam) (c). » 3. Innumera bona inde consecuta sunt, siquidem « Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos (d). » 4. Damni per mortem perpassi uberem consecutus est reparationem per excitationem a mortuis, per exaltationem ac nominis sui gloriam (e). Cum vero hæc, saltem simul sumpta, in nulla creatura locum habeant, patet extra rem prorsus a socinianiis argumenta urgeri sive ex ratione, sive ex legibus divinis et humanis, quæ non afficiunt nisi casus ordinarios. Hinc inutile ducimus exempla inquirere et congerere tum ex sacris litteris, tum ex gentium historiis ad ostendendum ejusmodi substitutiones ubique fere receptas reperiri (f).

(a) I. Pet. II. 21.

(b) Rom. VIII. 52.

(c) Jo. X. 18.

(d) Heb. X. 14.

(e) Philipp. II. 9.

(f) Ejusmodi sententiam penes omnes fere gentes obtinuisse, præsertim vero apud hebræos sociniani prius inficiati sunt: nunc vero rationalistæ monumentorum pondere et perspicuitate pressi id nobis jam ulro concedunt. Hanc autem persuasionem ipsi repetunt ex imbecillitate antiquorum hominum, qui putarunt non esse divinæ justitiæ quemquam hominum sine culpa plectere, ac quodvis malum pro pena habebant aut proprii, aut alieni peccati, quod iudex in alium detulerit luendum. Ex hac longe lateque recepta sententia, factum esse autumant, ut auctor cap. LIII. Isaie (qua loquendi ratione innunt profani homines auctorem cap. LIII. alium ab Isaia esse) uti etiam reliqui prophetae, artis disciplinæque omnis ignarus relinuerit et sui et aliorum populorum opinionem, qua Deus, nihil non expiari cupiens, cuiuscumque peccati poenam necessariam et inevitabilem, ab insontibus adeo, dicitur repetere. Quin etiam eo progrediuntur, ut asserant hanc opinionem ab ipsis N. T. scriptoribus, antiquis jamjam sacrificiis, conservatam et in mortem Jesu translatam esse.

Ceterum Deus Deut. I. c. vetat quominus filii aut parentes innocui involvantur poena a parentibus aut filiis nocentibus promerita. Apud Ezechielem vero sermo est de præmiis ac poenis in altera vita, quæ profecto pro meritis aut demeritis uniuscujusque individui rependantur a Deo.

Ad 3. D. Sub eodem respectu C. sub diverso N. Sed et illud inficiamus quod ab adversariis obtruditur de majori obligatione qua erga Filium ob præstitam ab ipso satisfactionem nos obstringi asserunt, quam erga Patrem, qui illam poposcit. Nam quod talem ac tantum Redemptorem nacti simus totum acceptum referre debemus divinæ misericordiæ et charitati, quæ cum eadem in tribus divinis personis sit, est Patri ac Filio communis. Patri igitur obstricti esse debemus, qui sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; Filio autem qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.

Ad 4. N. ut ex dictis constat. Petrus autem non adequatum sed partialem tantum finem passionis Christi cit. loco exponit. Multiplex fuit mortis et passionis Christi finis, primarius autem fuit ut pro nobis satisfaceret, prout Petrus alibi, ut vidimus, declarat et cum ipso sacri scriptores reliqui; secundarius ut nobis exemplo esset, quem ad scopum suum Apostolus attingit, primum supponendo.

II. Inst. Saltem satisfactio repugnat ex parte hominum. 1. Si enim Christus vere pro nobis satisfecisset tot debui- set mortes oppetere quot homines super terra sunt, erunt ac fuerunt; debuisset præterea poenis subici temporali et æternæ, ambæ enim ejusmodi poenæ nostris peccatis debentur. 2. Homines præterea liberi essent ab omni satisfactione præstanda, quod tamen catholici negant; 3. liberi essent ab omnibus hujus vitæ calamitatibus, morbis, morte etc. 4. Omnes denique homines salvi fierent, quod tamen nemo dicit. Ergo.

R. N. iterum subs. Ad 1. prob. D. Si una Christi mors æquivalens non fuisset morti tum temporali tum æternæ quas peccata omnium hominum promerentur, C. si, spectata infinita ipsius divinæ personæ dignitate, non solum æquivalens illis fuit, sed longe eas superavit N. Jam vero Apostolus passim docet Christum semel oblatum esse ad multorum exhaurienda peccata; una oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos; pro omnibus mortuum esse. Cum enim infinitum sit pretium pro peccatis nostris a Christi

Ceterum quod spectat ad ethnicoes, qui doctrinam adserunt de substitutione innocentis ad poenam luendam reo debitam cf. Herod. Hist. I. H. c. 59. 46. Jul. Cæsar de Bello gall. VI. 16. Ovid. Fast. VI. v. 162. « Hanc animam vobis pro meliore damus » etc. Sic apud Hebræos eandem obtinuisse persuasionem patet ex Exod. XX. 6. ubi patrum delicta in liberis castigari prohibentur; II. Reg. 1-44. ubi poena ante neglecta a posteris repetitur; ibid. XXIV. 10-25. Davidis noxa peste per tres dies grassante et 79. hominum millibus interfectis expiatur. Ibid. XII. 45-48. ejusdem Davidis adulterii crimen infantis morte luitur, ut alia loca omittam, quæ magna sedulitate ipsi rationalistæ, etsi ad pessimum finem, collegerant. Cf. Weg. §. 157. not. b et c.

sto oblatum, hoc ipso quantum ex se erat, Christus omne debitum tam temporale quam æternum quo universum humanum genus erga Deum obstringebatur, plene imo cumulatissime solvit, quin alio opus sit.

Ad 2. D. Proprie dicta ad promerendam reconciliationem C. improprie dicta, quæ consistat in applicatione satisfactionis et meritorum Christi N. Accurate enim distinguunt catholici inter oblatam a Christo Deo Patri satisfactionem et inter applicationem, ut aiunt, oblatæ satisfactionis. Ut igitur peccata nostra deleantur, et innocentiam induamus atque justitiam, ejusmodi applicatione opus est, quæ in usu sacramentorum consistit, atque in operibus per gratiam rite factis. Neque enim Christus ita satisfecit pro nobis, ut nos otiosi et nihil agentes salutem æternam consequeremur, sed ut operibus et satisfactionibus nostris pretium et valorem acquireret. Sane in debito personali non sufficit, ut sponsor convenienter pro illata injuria satisfactionem exhibeat, sed præterea requiritur, ut offensorem cum sponsore conveniat, injuriæ eum poeniteat, ac polliceatur velle se in gratiam redire cum persona læsa, atque ab injuria in posterum inferenda abstinere. Quæ si præstare detrectet offensorem, licet ingens sit solum pretium, gratiam et reconciliationem minime consequetur. Condiciones porro quas sponsor noster Christus servandas proposuit ut fructum satisfactionis ejus nobis applicarem ejusmodi sunt, ut si compatimur et conglorificemur, ut unusquisque tollat crucem suam eumque sequatur, atque Deum toto cordis affectu in posterum diligat et mandata ejus observet. Si quis ergo post adeptam reconciliationem iterum Deum offendant, poena utique æterna dignus efficitur, eamque, nisi respiciat, incurrit.

Ad 3. D. In altera vita, C. in præsentī vita N. Etsi enim plenam Christum nobis promeruerit a peccatis eorumque poenis omnibus liberationem, attamen gratiam hanc pro sapientia sua dispensat et ordinat; partem in hac vita largitur, non omnem; ut quamdiu hic sumus eum patientem imitari possimus et virtutis exercitio ac meritis locus sit (a). In altera autem vita plenam nobis largietur ab his omnibus liberationem.

Ad 4. D. Si eas condiciones impleant quas sponsor proposuit juxta dicta, C. si eas negligant N. Responsio patet ex iis quæ modo declaravimus in resp. ad 2. Ex quibus etiam colligitur perperam socinianos iisferre juxta doctrinam catholicam Deum non amplius nobis irasci ob peccata nostra. Hæc enim aliaque

(a) Cf. Catech. Tom. par. II, cap. II. n. 48. qui docet duabus potissimum de causis factum esse ut in hac mortali vita non careamus incommodis atque calamitatibus quarum prima est, quod nobis Christi membris plus dignitatis tribuendum non erat, quam ipsi capiti nostro tributum esset; Christus autem Dominus humanæ naturæ fragilitatem quam suscepit, non ante deposuit, quam passionis tormenta ad mortem pertulit. Altera vero causa illa est, ut scilicet tanquam segotem et materiam virtutis haberemus, ex qua deinde uberiores gloriæ fructum, atque ampliora præmia consequeremur. Mors igitur, et hujus vitæ calamitates nos manent, non tanquam peccati poenæ, sed tanquam exercitationes virtutum.

ejusmodi, quæ magno apparatu nobis adversarii opponunt, ex præpostera doctrinæ catholice intelligentia atque expositione proficiscuntur.

III. Obj. « Doctrina de venia peccatorum, quam hominibus paraverit satisfactio vicaria per mortem Jesu Christi Deo præstita, in gravissimas recentiore potissimum ætate incurrit reprehensiones, partim ex origine dogmatis, partim ex idea numinis recte constituta, partim ex justis reatus et poenæ notionibus atque ex ipsa experientia petitis. Primum enim haud male monitum est, omnem hæc de re sententiam comparatione niti mortis Jesu Christi cum sacrificiis piacularibus facta, quæ apud omnes fere gentes incultiores, in primis apud hebræos, usitata erant, et ipsi Jesu Christo jam improbata (Math. IX. 15. Jo. IV. 25. col. Ps. LI. (in vulg. L.) 18. 19. Mich. VI. 6-8.) : unde hunc ipsum dogma illud tanquam summum fidei christiæ caput nondum tradidisse recte concluditur. Deinde non intelligitur, quomodo Pater cœlestis voluntate justissima eademque benignissima ad poenas infligendas ductus omnisque iræ atque offensionis expers, nisi sanguine et morte victimæ commoveri non potuerit, ut liberos suos, humanæ quidem imbecillitati obnoxios, at pia tamen mente ipsi fidentes, morte æterna, alioquin ipsis destinata, exsolveret; nec intelligitur, cur institutum ita necessarium tam longe moratus sit Deus benignissimus, qui jam nomadibus rudioribus in desertis acclamari jussit: Ego sum benignus! (Exod. XXXII. 27. coll. XXXIV. 6. 7. Sap. XI. 24. 25. XII. 15.) Neque magis liquet, quomodo homines, natura quippe finita præditi, peccando infinitam culpam in Deum contraxerint, quæ, nisi piaculo infinito, elui non potuerit. Præterea nulla apparet ratio, cur Deus ipse, secunda scilicet in Deo persona, innumerorum systematum solarium summus moderator, induto corpore humano, in hæc tellurem, tam exiguum mundi partem, descendere decreverit, ut cruci affixus jam judæis, fatali quadam necessitate ductis, ipse sese sibi, tanquam piaculum infinitum, offerret; et cur Deus, quo tempore ipse sui expiationem parare cupiens et pacis ac reconciliationis nuncios adversariis mittens censeatur, non jam pro vere placato haberi possit. Tum per se patet reatus et poenæ sicut meriti notionès necessario inherere *subjecto* peccanti sicut bene merenti: quamobrem nec alterius culpa in alterum quemquam, præsertim innocentissimum, nec virtus et dignitas moralis qua unus aliquis insignis fuerit, in reliquos peccatores transferri potest. Poena enim est malum cum peccato conjunctum, quod ipsi homini peccanti infligitur; at malum, quod innocens sentit, perperam poena dicitur... Longa denique experientia ostendit, quantum fiducia in piaculis qualibuscumque collocata emendandi studio ejusque ac virtutis severitati veræque pietati nocuerit, quippe quæ hominem in suo ipsius pectore salutem suam querere iubeat. Ergo. Hucusque Wegscheider (a).

(a) § 141.

R. D. A. In gravissimas doctrina catholica incurrit reprehensiones apud eos, qui scripturarum, sensus traditionalis totius antiquitatis et ecclesiae auctoritate posthabita, malunt sensus privati ambagibus se committere, C. apud eos qui nondum christianae religioni nuncium remiserunt N. Ejusmodi enim sunt fructus quos ultro protulit protestantismi radix, quod toties animadvertimus.

Ad 1. prob. N. Perperam enim id monitum fuit; idea siquidem primigenia sacrificiorum piaculorum apud hebraeos, quae deinde ad alios populos propagata est originem traxit ab ipsa natura veteris legis, quae tota typica fuit, ut declarat Apostolus (a). Quare sacrificia Cruenta instituta fuerunt ad significandam futuram Christi mortem piacularem, ex quasignificatione et fide offerentium totam vim suam ad peccata expianda vetera sacrificia derivabant (b). Hinc propheta Isaias, ut jam notavimus, loquens c. LIII, de Christi morte usus est vocibus liturgicis quae ejusmodi piacularem virtutem exprimerent. Ab Hebraeis, seu potius ex primava traditione sensim ad gentes ceteras haec idea quoad sacrificia pervenit et eo progressa est, ut ad expianda noxiorum crimina, interdum victimas humanas immolarent, virgines potissimum, utpote diis ex ipsorum mente hostias acceptissimas, ac maxime idoneas ad publica mala, seu promeritas poenas et calamitates avertendas (c).

Sic prorsus negamus sive a Christo, sive a Pro-

(a) Cf. I Cor. X. 6-11. Coloss. II. 47. Heb. X. 1. seq. praesertim vero Rom. X. 4. ubi universim pronunciat: « Finis legis Christus ad justitiam omni credenti. »

(b) Per se enim, ut rursus pluries significat Apostolus, non erant nisi egena elementa, munera et hostiae, quae non possunt perfectum facere servientem, quibus impossibile est auferre peccata, aliaque ejusmodi, de quibus tum in epist. ad Galatas, ac data opera in ep. ad Hebr. scribit.

(c) Cf. com. de Maistre. *Eclaircissement sur les sacrifices*, ubi cum mira eruditione ex omnium gentium documentis ostendisset receptam quovis tempore ejusmodi sententiam de sacrificiis expiatoriis, quae magnum illud olim offerendum ab homine Deo portendebant pro totius humani generis expiatione ac salute concludit: « Il n'y a rien qui démontre d'une manière plus digne de Dieu ce que le genre humain a toujours confessé, même avant qu'on le lui eût appris: sa dégradation radicale, la réversibilité des mérites de l'innocence payant pour le coupable et le salut par le sang. »

Huc pariter referuntur quae de sacrificiis, *taurobolis* nuncupatis, in veteribus inscriptionibus saepe adeo occurrunt. Ethnici enim perfusi sanguine tauri immolati, eo ritu, quem graphice describit Prudentius in Hymno de s. Romano, in aeternum renasci se putabant. Moshemius Dissertat. ad hist. eccles. pertinentium vol. I. p. 379. ed. Antonæ 1767. ostendit adversus Salmasium, Seldenum, Reinesium, Clericum ac Van Dalium ejusmodi sacrificia minime adscivisse romanos ex christianorum vulgata doctrina de quadam expiatione, ac mystica liberatione et regeneratione per sanguinem Jesu Christi, ut illi autumabant, sed longe christiana religione ea antiquiora esse. Moshemius censet ex Phrygia romanos hunc ritum derivasse; ast verisimilius videtur ejusmodi sacrificia ex cultu antiquissimo mithraico, qui obtinebat apud persas repetenda esse, atque ex Oriente in Occidentem pervenisse. Cf. Mémoire sur le culte de

phetis improbata fuisse piacularia sacrificia in sensu adversariorum. Citata autem loca, si Jo. IV. 25. excipias qui ad praesentem quaestionem non spectat, docent cordis dispositionem et misericordiae opera praefenda esse materiali sacrificiorum oblationi absque pietatis ac fidei sensu factae, ut ex eorum lectione aperte constat.

Ad 2. Resp. Parum refert quod adversarii non intelligant quare Deus sanguine ac morte Filii sui placari *potuerit* (verius dixissent *voluerit*); dummodo nobis constet de ipsius voluntate, satis esse debet, nec ulterius inquirere debemus; cum autem Christus, ut ostendimus, saepius declaraverit se daturum sanguinem suum in *remissionem peccatorum*, in *redemptionem*, imo in *pretium redemptionis* pro multis; cum idipsum, fatentibus adversariis, constanter doceant scriptores sacri, nullum dubium de hac Dei voluntate superesse nobis potest. Ceterum Apostolus Rom. III. 25. rationem assignat quare Deus ita voluerit, nempe « Ad ostensionem justitiae suae. » In eo quod addunt se non intelligere cur Deus adeo distulerit institutum adeo necessarium, ostendunt se non cognoscere doctrinam catholicam, quae proficitur cum S. Leone M. quod « Gratia Dei, qua semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non coepit: et hoc magnum pietatis Sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui illud credere promissum, quam qui suscipere donatum » (a). Quare benignitas Dei quovis tempore eluxit, dum omnibus hominibus medium praebuit ad salutem (b).

Idem dicendum circa difficultatem quam adversarius promovet desumptam ex *culpa infinita*, quae contrahitur a natura *finita* . Haec enim ex falsa notione doctrinae catholicae oritur. Neque enim catholici docent culpam esse vere infinitam, sed solum, ut loquitur s. Thomas (c), dicunt habere *quamdam infinitatem* ex infinitate divinae majestatis; ideoque extrinsecam, in quo nihil est quod repugnet (d). Dum autem theologi exinde inferunt necessitatem hypotheticam In-

Mithra par le ch. Jos. de Hammer publié par G. Spencer Smith. Paris 1855. in 8.

Ceterum quoad auctores qui ex professo de *Taurobolis*, *Criobolis*, et *Egobolis* scripserunt, tum qui de *sacrificiis humanis* ubique gentium receptis, ac in genere de sacrificiis *expiatoriis* egerunt, consulendus Alb. Fabricius in *Bibliographia antiquaria* cap. XI. § 5. seqq. qui more suo longum catalogum eorum intextit.

(a) Serm. XXIII. al. XXII. in Nativ. Domini. cap. III. edit. Ballerin. opp. t. I.

(b) Rationes a patribus assignatas quare distulerit Deus executionem Incarnationis et redemptionis cf. apud Petav. lib. II. cap. XVII.

(c) III. P. q. 1. ar. 2. ad. 2.

(d) Cf. tamen Vasquez in III. P. disp. II. c. II. seqq. ubi pluribus contendit, malitiam peccati seu rationem offensae finitam esse non solum *subjective*, ut omnes fatentur, sed etiam *objective*, aut quocumque alio modo id dicatur. Consuli praeterea poterit Petav. l. c. capp. XIII. et XIV. ubi agit de necessitate Incarnationis.

arnationis et satisfactionis, non nisi conjecturale, ut praefertur, argumentum proferunt, quod ab aliis tamen impugnatur (a). Vera ratio est Dei voluntas quae nobis ex divina revelatione constat.

Animadversio circa rationem qua Dei Filius nudo corpore indutus in hanc tellurem descenderit, supponit quod adhuc incertum est, num scilicet existant *planeticolae*; supponit praeterea in hac hypothesis eodem providentiae ordine illos regi ac nos; supponit denique eodem ac nos remedio illos indiguissse. Haec autem omnia sunt totidem somnia ac nugae; attamen ex his argumenta ducunt rationalistae ad id negandum de quo nos revelatio divina certiores fecit. Haec velle serio refellere jocum saperet.

Quod subditur de fatali necessitate qua ducti Judaei dicuntur ad cruci affigendum Christum, non est nisi blasphemiam, quam superius repulimus (b).

In eo quod Deus expiationem nobis paraverit, se benignum ac benevolam erga nos ostendit; in eo vero quod Christi morte placari voluerit se justum prodidit. Benevolentia autem et justitia optime inter se cohaerere in eodem subjecto possunt.

Ad 3. D. Reatus culpae et ratio meriti stricte sumpti, C. reatus poenae adeoque et satisfactionis subd. ceteris paribus, C. necessario N. Hoc enim et diametro adversatur non solum divinae revelationi ex qua novimus non semel alios pro aliis satisfacisse, verum etiam communi gentium omnium sensui (c).

Sic poena prout dicit relationem ad culpam est malum cum peccato conjunctum, C. prout importat *satisfactionem* subd. ut plurimum, C. semper N. et hoc posteriori tantum sensu malum, quod innocens sentit, poena vocatur. Detectis igitur aequivocationibus, concidunt argumenta, quae adeo magni sunt.

Ad 4. N. Quibus enim suadebunt rationalistae purioribus ac sanctioribus moribus instructos evasisse suos discipulos per destructionem religionis christianae ab imis fundamentis suis? Proferant suos sanctos et heroes, si quos habent; interea catholici ipsis perpetuo objicient martyrologia, et collectionem

(a) Cf. ibid.

(b) P. 1004, ad 5.

(c) Cf. Gal. VI. 2. II. Cor. VIII. 14. etc. Sed de hoc argumento ex professo suo loco agemus. Cf. interea Catechism. Rom. P. II. cap. V. §. 76.

hollandistarum, acta sincera innumerorum plane sanctorum, qui in avita fide enutriti omnigenis virtutibus floruerunt. Adde et hanc difficultatem ex praepostera notione doctrinae catholicae originem trahere, quam nos superius discussimus et falsam esse ostendimus.

Et haec de magno hoc pietatis Sacramento adversus judaeos, incredulos, haereticos ac rationalistas, qui machinationes admoverunt omnes ad illud evitandum. « Quid autem fuit, ut tractatum absolvam verbis magni illius dominicae Incarnationis mysterii assertoris ac vindicis, Leonis, quod et judaeis intellectum abstulit, et sapientium mundi corda turbavit, nisi crux Filii Dei, quae et philosophicam evanescente prudentiam et israeliticam fecit caligare doctrinam? Omnem namque sensum humanae mentis excessit divini altitudo consilii, cum placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes (a), ut mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi. Inconsequens enim et irrationabile videbatur, recipere animo, quod creatorem omnium naturarum in substantia veri hominis virgo intemerata peperisset; quod aequalis Patri Filius Dei, qui impleret omnia et contineret universa, furentium manibus comprehendi, iniquorum judicio condemnari, et post dedecora illusionum, cruci se permisisset affigi. Sed in iis omnibus simul sunt et humilitas hominis et celsitudo deitatis; nec misericordiae ratio majestatem miserentis obscurat, quia de ineffabili potentia factum est, ut dum homo verus est in Deo inviolabili, et Deus verus est in carne passibili, conferretur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem. Nisi enim Verbum caro fieret, et tam solida consisteret unitas in utraque natura, ut a suscipiente susceptam, nec ipsum breve mortis tempus abjungeret, numquam valeret ad aeternitatem redire mortalitas. Sed adfuit nobis in Christo singulare praesidium, ut in natura passibili mortis conditio non maneret, quam impassibilis essentia recepisset, et per id quod non poterat mori, posset id quod erat mortuum suscitari (b). »

(a) I. Corinth. I. 21.

(b) Serm. LXX. al. LXVIII. de Passione Domini XIV. ed. Ballerin.

TRACTATUS DE CULTU SANCTORUM.

Prooemium.

Quae sub generico tractatus de cultu sanctorum nomine complectimur, reducuntur ad eorum cultum, invocationem, ad eorum item

reliquiarum honorem, ad usum denique et venerationem imaginum. In totidem propterea capita lucubrationem hanc distribuimus. Quandoquidem autem ex germana cultus notione totus aut magna saltem ex parte pendet felix